

Wiber

De
religione in
foro civili

1782



19

DE
RELIGIONE CHRISTIANA
IN FORO CIVILI
CAUTE ADPLICANDA
MULTO MINUS
AD ILLEGITIME NATOS
A SUCCESSIONE EXCLUDENDOS
VSURPANDA.

Verf. Weber, Altf. Friedrich.



MDCCCLXXXII.



DE
ALMANIAE ET CIVITATIS

HISTORICAE

QUEA DINTIGVNDY

WILHELMUS DE MONTAIGNE

AD HOMINUM VIRTUTES

AERGENTORATI EDITIONES

ABUNDANTIA

MDCCLXXII



DE RELIGIONE CHRISTIANA IN FORO CIVILI CAU-
TE ADPLICANDA, MULTO MINUS AD ILLEGI-
TIME NATOS A SUCCESSIONE EXCLU-
DENDOS VSURPANDA.

§ I.

Introitus.



Quum pro magnifica, quam VLPIANUS *L. io.*
de iust. & iure exhibit definitione, iurispru-
dentia sit diuinorum atque humanarum ré-
rum notitia, quid mirum, iureconsultos, stipulationes &
interdicta edoctos, saepè theologos agere, &, nescio quid?
rerum diuinorum scriptis suis ventilare. Nec est profecto,
quod hanc ob causam extimescant termini moti iudicium,
quoniam partim veritas, a nemine lucusque occupata,

A 2

omni-

omnibus quin pateat, dubio caret, partim vero, quantum quamque insignem legum cultores ex studio theologicis capere possint fructum, optime iam demonstratum dedit GOD.
DAN. HOFFMANNUS *Diff. de coniungendo cum studio iuris sanctae theologiae studio.* *Tub.* 1763. Quare quoque non sine ipsius legitima scientiae commodo omni aeuo extiterunt iureconsulti veritates theologicas lucubrationibus suis illustrantes. **Conf.** CHR. AUG. HEUMANN *de Jureconsultis Germanis Saec. XVI. disciplinae suae adiungentibus theologiae studium.* **JOH.** PHIL. SCHMIDII *comment. de pietate & scriptis theologicis Jureconsultorum.* **GOTTL. FRID. GUDII** *comment. de Jureconsultorum meritis in S. Scripturam.*

Quin! nec adhuc inter nostros deesse,
quibus Paullus vterque placet

luculenter suo comprobauit exemplo Vir eleganter doctus
J. F. ZOCHIUS Ribnitzio Megapolitanus, cui nuperrime editum debemus libellum academicum: *de fauore liberorum naturalium secundum principia nostrae religionis non extenuendo.*
Buetzovii a. d. XIII. Decembr. 1781. Licet autem propositum Viri iam consultissimi, quaestione forensem rationibus, e sancta religione nostra desumptis, dilucidius explicandi, in se omni adplausu dignissimum lubentes profiteamur, ipsa tamen, quam nobis tradidit theologia, tantum abest, ut genuino fonti, sacro nimirum codici, omnino con-

veniat,

veniat, vt potius, praeceptis institutisue euangelii mirum
 in modum repugnare videatur. Quos enim secundum prin-
 cipa religionis nostrae fauore successionis indignos iudi-
 care conatus est, liberi naturales, beatiorem longe, melio-
 remque hoc respectu inirent conditionem, simulac ista,
 neglecto iure humano, ad verbi diuini normam, regulas-
 que mutui amoris diiudicanda foret. Quae quum ita sint,
 non abs re futurum duxi, dubia, quae in lectione scripti
 mihi obuenerunt, in chartam coniicere. Ante omnia vero
 lectorem praemonitum volo, animum mihi non esse, con-
 tra integrum opus insurgendi, aliaque minus recte quidem
 dicta, sed ad scopum meum haud pertinentia impugnandi,
 quippe cui negotio neque temporis angustia, de qua &
 auctor noster conquestus est, neque charta, cuius ipse
 quidem parcus non fuit, sufficeret. Misericordia ergo omnibus,
 quae ad ius ciuale humanum, eiusque interpretationem
 spectant, vnicce in quaestione subsistam: *Num religio Chri-*
stiana rationes contineat, quae vt a successione in bona parentum
illegitimam prolem penitus excludamus, commouere nos possint?
 Pro adfirmatiua militat auctor dissertationis citatae; nobis
 autem negatiua admodum se probauit responsio. Ille egit
 causam suam, agamus & nostram. Sententiam ferant, qui-
 bus competens huius rei iudicium, quosque praelatio diu-
 tius haud morari par est.

RELIGIO POTISSIMUM CHRISTIANA MAXIMUM IN
SOCIETATE CIVILI HABET EFFECTUM Vnde
EIUS CULTURAM SEMPER MAGNI FECE-
RUNT IMPERANTES.

Inter caetera, quae hominem ad honeste viuendum, &
suum cuique tribuendum determinare possunt motiva, pri-
mum certe obtinet locum religio. Quid enim vñquam ma-
gis illi scopo inferuire poterit, quam cogitatio summi, quod
omnia regit Numinis, quodque non in hac vita solum, ve-
rum etiam post mortem adhuc virtutes nostras praemiis
ornabit eximiis, vitia vero & male facta penitus subiicit in
perpetuum duraturis. Optime igitur S. AUGUSTINUS ait:
*Vt homo sit aliquid, conuertit se ad illum a quo creatus est, rece-
dendo enim frigescit, accedendo seruescit, recedendo tenebrescit,
accedendo clarescit, a quo enim habet, vt sit, apud illum habet,
vt ei bene sit. Vt boni simus Deo indigemus.* Quid inde mi-
rum ab antiquissimis adeo temporibus legum latores fortis-
simum obligandi vinculum e religione desumfisse, huiusque
culturam & venerationem ipsis semper eo sanctiorem fu-
isse, quo certius constiterit, nulla re magis & principem
cum ciuibus, & ciues inter se colligari; id quod iis etiam,
quibus in luce verae religionis viuere nondum contigit,
optime tamen cognitum fuit, atque persuasum. Sic, vbi

XENO-



XENOPHONTI credendum est CYRUS iamiam subditos hoc sibi
 addictiores fore existimauit, quo Dei essent metuentiores, & recte
 ARISTOTELES Lib. V. de rep. c. 2. minus, inquit, *populus*
timebit, iniuste trahari a principe, quem religiosum credit;
 quumque CICERO Lib. IV. de fin. bon. iustitiam, ait, *adserit*
si cognitum habeas, quod sit summi rectoris & domini numen,
quod eius consilium, quaeque voluntas, EPICURUS profecto,
diuinam prouidentiam negando, iustitiae nil, nisi nomen
inane reliquit, fatente eodem, cui modo testimonium de-
nunciaimus MARCO TULLIO Lib. I. de Nat. Deor. c. 2. ver-
bis: Sunt philosophi, & fuerunt qui nullam habere censerent
humanarum rerum procurationem Deos, quorum si vera sententia
est, quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio? Quod si
igitur summi Numinis veneratio, & religionis custodia ipsis
adeo gentilibus curae semper cordique fuit, sanctior certe
adhuc necessario esse debuit Imperatoribus christiana fidei
addictis. Conf. L. 1. & 3. C. de summa trinit. L. 4. §. 1. C.
de haeret. Si enim vlla vnquam religio salutem ciuitatis pu-
blicam promouere, & bonos vbique ciues formare potest,
certissime hanc laudem optimo iure sibi vindicat, Christiana
disciplina, de qua JUSTINUS Apol. II. p. 44. Sylburg:
Nos vobis ad imperii tranquillitatem maxime collaboratores
& adiutores sumus, vt qui doceamus, fieri non posse, vt Deum
quis lateat, siue sit maleficus, raptor, insidiator siue aequi
amans.

§ 3.

VARIA AUTEM RATIONE ABUSI SUNT RELIGIONE
HOMINES, ID QUOD INPRIMIS A CLERICIS
FACTUM ESSE NOTATUR.

Licet autem ipsa religione nil melius nil homini sanctius esse possit, debeatque, nullo tamen, quod apprime dolendum est, tempore mortales defuere, qui, ut commodis suis eo melius prospicerent, finemque propositum eo certius obtinerent abuti eadem, haud dubitarunt. Non dicam hic de conditoribus ciuitatum, quibus plerumque soleimne fuit arcanum, ut leges a se inuentas fingerent a Deo latas, quali artificio inter alios & LYCURGUM usum esse & NUMAM, testes sunt JUSTINUS lib. 3. hist. cap. 3. & LIVIUS Lib. I. cap. 19. 21. Sed ipsam religionem Christianam plus una vice maximis abusibus adhibitam suisse & adhuc quotidie adhiberi, experientia pariter, ac rerum gestarum memoria comprobatum est. Potissimum sub tegmine eiusdem clerici suam auctoritatem iusto magis ampliare, seque laicorum liberalitate locupletiores reddere sciuerunt. Posteaquam enim ipsorum imperantium supersticio & simplicitas eo usque excreuerat, ut muneribus clero datis ad aeternam beatitudinem viam sibi parari existimarent ; mox infecutae sunt illae lacrymae , exhaustis

fuis

stis laicorum patrimonii optimam bonorum partem in manibus ecclesiae imueniri. Vnde iam CHILPERICUS I. conqueritur: *Ecce! diuitiae nostrae ad ecclesiam sunt translatae, Ecce! pauper remansit fiscus noster.* Gregor. Turon. Lib. VI. hist. Franc. cap. vlt.; nec non Imperator Henricus IV. *Ecce! illi (episcopi) sunt, qui regni mei diuitias habent, & me meosque omnes in paupertate reliquerunt.* Conf. Auctor histor. belli Saxon. p. III. Ex quo porro imperantes propriam episcopis & ecclesiae concederant iurisdictionem, clericis nil magis curae cordique fuit, quam sub praetextu religionis causas mere saeculares ecclesiasticis subiicere tribunalibus. Pro indubitate adsumebant principio, omnes causas quae 1) personas clericorum resque ad ecclesiam pertinentes 2) dogmata fidei concernerent, & 3) negotia, in quibus diiudicandis praeter ius ciuile ad religionem quoque haud parum respiciendum esset, nonnisi ad forum ecclesiasticum pertinere. Quantum vero his regulis sibi aperuerint campum, in quem audacia illorum, & arrogancia excurrere possit, primo statim intuitu adpareat, nemisque facile tam hebes erit, vt in primis sub tertia specie quamlibet causam ciuilem in ecclesiasticam transformari posse, statim non videat. Clerici saltem catholici, felicissimum in via semel caepta facientes progressum, innumera negotia mere saecularia sua potestati ac iurisdictioni vindicantur.

B

carunt,

carunt, quod praeter causas matrimoniales admodum multis aliis comprobare possem exemplis.

§ 4.

IPSI QUOQUE IURECONSULTI, ET IUDICES LAICI
A SINISTRA RELIGIONIS IN CAUSIS SAECU-
LARIBUS ADPLICATIONE MINIME
ALIENI SUNT.

Cause autem credas, clericorum vnicē hoc vitium suffe; immo ipsi iureconsulti & iudices laici non dubitarunt, vbiique fere in causis ciuilibus fundamenta sententiarum & decisionum suarum ex sacra scriptura repetere; contra finem sane & mentein CHRISTI, cuius regnum, ipso fatente, de hoc mundo non est, quique virtutis quidem ac humanitatis doctorem, minime vero ciuilem agere voluit leglatorem. Sic, vt inter plura, quae adducere possem, paucis tantum vtar exemplis 1) modicae etiam & legitimae vſuræ suos tamen inuenierunt osores ob dictum illud LUCÆ VI. mutuum date nil inde sperantes, quumque 2) PAULUS Apostolus Rom. XIV, 13. peccatum esse, scribit, quid quid ex FIDE non proueniat, ridicule hanc fidem Christianam cum bona fide, quam ius ciuale in praescriptione, vt aiunt, extinctiu necessariam esse negat, commiscentes, auctore cap. XX. X. de praescript. iam inferunt, nullam actionem solo temporis lapsu extingui posse, nisi de bona debitoris

fide



fide constaret. 3) Negotia iure ciuili vetita, proque nullis declarata accidente iuramento contualescere defendunt, licet maior religionis abusus cogitari nequeat, quam eum in finem iuramenta adhiberi, ut voluntas imperantis & legum dispositiones a subditis eludantur. Excogitarunt 4) ineptissimam iudicis implorationem, qua, actione ciuili plane deficiente, iudex ecclesiasticus adiri possit, quomagis peccatum euitetur. Conf. Bähmer de action. Sect. I. c. 2. § 29. 30. Idem in iure eccl. protest. Lib. I. Tit. 32. 5) Doctrina Christi de inimicis gratia & condonatione excipiendis ad iniuriarum in foro ciuili persecutionem a nonnullis detorquetur, adeo, ut omnem harum actionum iustitiam in dubium vocent. Notissima est controuersia hac de re BOEHMERUM inter & LEYSERUM agitata, cui & alii Jureconsulti se immiscuerent. Conf. SCHMIDT in Seinem Lehrbuche von gerichtlichen Klagen und Einreden § 1253. Evidem secundum doctrinam euangelii Christianum omnino oportet, peccatis aliorum veniam dare, facileque se placari sinere, sed hoc ad officia tantum pertinet interna, quae in relatione ad societatem ciuilem, forumque externum ab arbitrio cuiuscunque dependent, & certe in virtutum numero esse desinerent, simulac per vim & iudicis iussum extorquerentur. Est, inquit SENECA Lib. 3. de benef. c. 7. res honestissima, referre beneficiis gratiam sed definit esse honesta, si necessaria erit.

est. Si appello, si ad judicem voco, incipit non beneficium esse, sed creditum Non est gloria res, gratum esse, nisi tutum est, ingratum fuisse. In foro ciuili haud raro tolerari debent, quae morum praeceps & humanitati parum conueniunt, immo aperte repugnant.

§ 5.

TRANSITUS AD MATERIAM NOSTRAM CUIUS
INTUITU PRINCIPIA QUAEDAM GENE-
RALIA ADDUCUNTUR.

Vides igitur, non heri demum, aut nudius tertius extitisse, qui religionem CHRISTI infelici applicatione negotiis faecularibus immiscuerint, sed dudum iamiam abusus huius farinae irrepissile. Nonne vero in idem hoc vitium inciderit auctor noster, defendens secundum principia nostrae religionis fauorem liberorum naturallum haud esse extendendum, hoc iam curatius inquirere, nostrum est. Qua in re, vt ordine procedamus, veritates quaedam praemittendae sunt, indubitatee quidem vt libenter fatemur, sed quibus in posterum allegandis & praesupponendis supercedere non possumus. 1) Contra religionem non peccat, nisi tale quid committens, quod officiis erga Deum, erga se ipsum, aut proximum repugnat. 2) Homo Christianus non sibi soli vivere, sed aliorum quoque felicitatem promouere, statumque eorum, pro viribus suis beatum reddere

reddere obligatus est. 3) Quomagis Christiani ab omni
 inuidia & vindicta alieni esse debent, eo magis officiis eo-
 rum repugnat, in ipsos adeo innocentes saeuire, vt hi, vna
 cum fontibus premantur. 4) Quid quid hisce principiis ad-
 versatur, impium quidem omnino est, & Christianis eui-
 tandum. Exinde autem minime consequitur, vt omne id,
 quod religioni repugnat, in societate quoque ciuili & foro
 externo plane tolerandum non sit. 5) Simili modo non
 omnia, quae imperans in salutem rei publicae statuit, quin
 ob hominum duritiem permittit, religioni id circa quoque
 congruere dicenda sunt, immo aperte potius interdum ab
 illa recedunt. Alia enim est, & pro mortalium indole esse
 debet, iustitiae ciuilis ratio, alia autem pietatis internae &
 humanitatis. Quae obseruatio veritati adeo conuenit, vt ne
 in ipsa quidem populi Judaici Theocratia officium suum per-
 dat, ceu inter alios optime demonstratum dedit J. D. MI-
 CHAELIS *Mos. Recht.* T. I. p. 17. T. 2. p. 336. seq. 6) Fun-
 datorem religionis nostrae ciuilem agere noluisse legislato-
 rem, supra iam praemonui; vtteriorem vero huius rei ex-
 plicationem fistunt: JOH. SALOM. SEMLERI *commentarii hi-
 storici de antiquo Christianorum statu Tom. 1. & 2. Halae 1771.
 & 1772.* in quibus praecipue nobis placuit verissima reue-
 rendi auctoris obseruatio, persecutionum, quibus Chri-
 stiani sub imperatoribus romanis obnoxii fuerint, causam,

minime in sola religionis nostra professeione *qua tali* quaerendam esse, quam Romani, ut publicum religionis peregrinae exercitium haud admiserint, sentiendi tamen libertatem nemini denegarint, sed veram, eamque praecipuam persecutionum rationem, inde repeti debere, quoniam plures inter iplos Christianos extitissent fanatici, ciuile quodam ecclesiae imperium, hinc (vt politici loqui amant) statum in statu somniantes. Horum iniuria commune quodam oditum in Christianos, homines veltuti reipublicae periculosos, exortum esse.

- 7) Religionis praecepta in foro externo tum demum normam decidendi suppeditant, quando
- a) causa, de qua agitur immediate cultum diuinum concernit,
 - b) a legislatoribus sanctum est, vt in hoc vel illo casu sacram scripturam iudex, sententiam ferendo, feciatur, id quod circa matrimonia inter consanguineos & adfines inenarrata, item ratione diuotiorum contigisse, neminem fugit.

Hicce praemisis integrum disputationem nostram com mode ad tres quaestiones reducere possumus. 1) Num generatim in hac materia ad principia religionis recurrendam sit? 2) Num religio nostra vere confirmet principia, quae auctor noster eidem adsingere conatus est? 3) Nonne, si in

si in hac causa ciuili ratio quaedam decisionis e religione desumenda sit, contrarium defendi, sauorque liberorum naturalium extendi potius, quam restringi debeat?

§. 6.

DISQUIRITUR PRIMA QUAESTIO.

Id quemlibet nobis daturum esse persuasum habemus, conditionem & statum liberorum naturalium ad ea non pertinere, quae immediate cultum diuinum concernunt; & quum ipse auctor § 20 concedit, expressam quandam dispositionem, in odium illegitima proliis vergentem, sacris litteris hanc contineri, sequitur, fieri non potuisse, ut leges ipsae iudicem obstrinxerint, in hac materia praceptis sacrae scripturae sententiam suam conformare. Per ea igitur, quae §. anteced. n. 7. praemissa sunt, fere non video, quid auctor sibi velit, *Secundum principia religionis nostrae* sauorem liberorum naturalium extendi posse negans. Siue enim hoc de ipsa potestate legislatoria intellectum, siue tantum ad legum ministros restrictum velit; clare enim mentem suam hanc declaravit; vtroque tamen casu contra liberos naturales frustra religionem advocat. Imperanti enim facultatem, liberos illegitimos ad hereditatem paternam vocandi, sub praetextu religionis denegare velle ridiculum foret, quum nulla adsit ratio principis conscientiam in

contra-

contrarium motens. Judices vero legem humanam, quae fidei christiana e diametro haud repugnat, indistincte sequi tenentur. Quacunque igitur ratione rem consideres, duo tantum casus cogitare tibi poteris. Aut enim ipsis legibus positius earumque analogiae conuenit, ne illegitimi a successione excludantur; aut contrarium existat ad parēt. Ibi procul dubio admittendi sunt, & frustraneum fore, principia religionis, si quoque possis, obmouere. (§ antec. n. 4.) Omnes enim & singuli, qui sanctionem iuris civilis a morum praeceptis discernere didicerunt, uno ore fatebuntur, id quod iuri humano vere conuenit, nisi aperte conscientis vim inferat, indistincte obseruandum esse, quantumvis doctrina religionis aliud suadeat. Quodsi autem in casu posteriori ipsa lex humana illegitimis ius succedendi denegat, tunc remouentur quidein, sed propter dispositionem iuris civilis, non autem ob religionis principia, quae tunc iterum frustra in subsidium vocarentur. Sed forsitan res ita se habet, vt, licet religio Christiana expresse illegitimos a successione parentum haud excludat, virtualiter tamen, vt ita dicam, hoc in praeceptis sacrae scripturae continetur, hinc legislator, si pius & fidei nostrae addictum præbere se velit principem, non possit non, remota in totum illegitima prole, iustos tantum liberos huius iuris participes reddere; iudices vero, caeterique legum ministri, in

præcepto

quoli-

quolibet casu dubio, optimam exclusiuae interpretationis rationem, ex ipsa religione in promptu habeant. Age igitur, videamus, num proba recta sint, quae a te hic contra innocentes liberos ex sanctae religionis doctrina disputantur.

§ 7.

NUM RELIGIO CHRISTIANA VERE CONFIRMET PRINCIPIA, QUAE AB ADVERSA PARTE EIDEM TRIBUUNTUR ET QUIDEM a) RATIONE LIBERORUM IN CONCUBINATU PROCREATORUM.

Re vera unicum solummodo est argumentum quo auctor noster vtitur, licet varia illud sub specie ab eodem ventiletur, ac semel & bis propositum semper de nouo iterumque repetatur. *Religionem nimirum, dum matrimonia iusfe iniri velit, haud poti, ut effectus inde fluentes, inter quos sane emineret successio, illegitimis quoque liberis concedantur.* Verum est, principia religionis matrimonium tueri, sed quale? Requisita enim, quae hodie demum ratum & legitimum constituant matrimonium, benedictio sacerdotalis, praeuiis sponsalibus, & proclamatione ecclesiastica, sacrae scripturae prorsus ignota sunt; hinc concubinatus secundum principia nostrae religionis consideratus verum matrimonium constituit. Diu quoque inter Christianos rem liberi arbitrii fuisse, vel vxorem publice in coetu sacro coram sacerdote ducere,

C

vel

vel sine caerimoniis concubinam adsumere, clare confir-
mant verba CONCILII TOLETANI Decret. 17.: *Qui non habet
vxorem sed pro uxore concubinam, a communione non repellatur;
tantum ut vnius mulieris, aut uxorius aut concubinae, vt ei
PLACUERIT, sit coniunctione contentus, alias vero viuens abii-
ciatur, donec desinat, & per paenitentiam reuertatur.* Quem
in locum ita commentatus est FLEURY hifst. ecclesiast. Tom.
5. lib. 20. ch. 48. *Ce canon est très remarquable, pour montrer,
qu'il y avoit des concubines legitimes approuvées par l'Eglise.*
Vnde ipse quoque LUTHERUS in praefatione des Traubüch-
leins scripsit: *So manches Land; so manche Sitten, sagt das ge-
meine Sprichwort. Demnach, weil die Hochzeit, vnd Ehestand
ein weltlich Geschaefft ist: gebührt uns Geistlichen oder Kirchen-
Dienern nichts darinne zu ordnen oder zu regieren, sondern las-
sen einer jeglichen Stadt oder Lande hierin ihren Brauch und Ge-
wohnheit, wie sie gehen. Etliche führen die Braut zweimahl zur
Kirche, beide des Abends und des Morgens: etliche nur einmal,
etliche verkündigen und biethen sie auf der Kanzel auf, zwei oder
drei Wochen zuvor. SOLCHES ALLES und dergleichen lasse ich
Herrn und Rath schaffen und machen, wie sie wollen, es geht mich
nichts an. Antequam igitur de caeteris illegitimorum ge-
neribus verba faciam, id profecto non video, quae vñquam
te commouere potuerit ratio, vt ad denegandum infantibus
ex concubina procreatis ius succedendi, ipsa religione abu-
taris,*

taris, quum tamen haec concubinatum perpetuum vere pro matrimonio agnoscat, nec vlibi ob solum formae in *lege humana* praescriptae neglectum, infantes successione privatos velit. Verum enim vero, si dicendum, quod res est, his omnibus ad te refutandum vix indigemus, statim ostensuri, quoad omnes omnino illegitimos maxime erro- neam esse opinionem tuam.

§ 8.

**BY GENERATIM RATIONE OMNIUM ILLEGITI-
MORUM CUIUSLIBET GENERIS.**

Omnem sententiae tuae rationem in eo te collocasse iam praemonui, quod successio sit effectus matrimonii, hinc extra matrimonium procreatis minime adipicanda. Hi quoque, te indice, non habent, quod de iniustitia clamitent, quum parentes non plus iuris iisdem conferre possint, quam lex, legitimis heredibus arridens permittat. — Bene his omnibus nihil obmouendum duco, simulac de iuribus positiuis, iisque humanis, prout iam extant, sermo est. Sed ne obliuiscaris quaeſo, cardinem controversiae nostrae, & integrum, quod ventilandum tibi sumfisti argumentum, in eo versari, num *principia religionis* vere obſtent, quominus filii illegitimi ad successionem admittantur? Hoc est, quod iterum nego & pernego, quodue argumentis e iure humano aduocatis firmari nequit. (§ 5. n. 5.). Quis autem non

C 2

videt,



[decorative horizontal line]

videt, talia vere esse, quae pro tua sententia adducuntur. Ipsa enim successio tam testamentaria, quam ab intestato, est institutum humanum nec religio sicut nostra, eius intuitu quidquam definit. Quid igitur sibi vult, quod scribis, successionem esse effectum matrimonii tantum? Concedo, si de iure humano intellectum te vis, sed penitus nego, hoc per se, & dictante religione ita se habere. Fac ergo, illegitimos in legibus nostris quoque ad successionem vocari, quid hoc aliud esset, quam felicitati innocentium liberorum consuli, illosque nil plane peccantes merito quoque poenis liberari. Num tibi defendere sumeres id religioni non convenire, quod principia eius aperte efflagitant (§ 5. n. 2, 3.). Immo videsne admodum claudicare argumentum a successione tanquam effectu matrimonii desumptum, quiuin ita quidem res se habent ex institutis humanis, non autem diuino nostrae religionis iure. Tuum ergo fuisset, probare, *religionem nostram* ius succedendi vnicè ad matrimonium reducere, tunc iusta rectaque fuisset conclusio, ad illegitimos hoc ius non esse protrahendum. Exinde autem, quod a *legilatore homine* legitimi tantum remotis illegitimis ad successionem vocati sint, minime sequitur, hoc quoque pro religionis praecepto ventilandum esse, (§ 5. n. 5.) quum teste CICERONE ius ciuale ne naturali quidem, nedum religioni nostrae per omnia conueniat. *Stultissimum*, ita TULLIUS de
legib.

legib. I. 42., illud, existimare, omnia iusta esse, quae scita sunt
in populorum institutis aut legibus. Est enim unum ius, quo de-
vincta est hominum societas, & quod lex constituit una, quae lex
est recta ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, is
est iniustus, siue est, scripta uspiam, siue nusquam. Quae quum
ita sint, ne operae quidem pretium est, verbis tuis p. 52.
prolati diutius immorari. Audacter ibidem contendis, leges
matrimonii a Deo instituti laedi, si quoque licitum esset, ef-
fectus, qui illi attributi sint, ad tales expandere, qui non
sub eius specie vitam intrarint. Sed quibus quaeso rationi-
bus hoc probatum dedisti? Nullis profecto; nullius ergo
adsensum expectes, velim. Tunc, fateor, leges diuinae
matrimoniales laederentur, si imperans vagam libidinem,
promiscue exercendam permittere, illamque delictorum
numero eximere vellet; quam ob rem optime suisque offi-
ciis conuenienter ipsos liberorum illegitimorum parentes
inordinatae libidinis poenas dare iubet legislator. Sed si
infantibus aliqualem bonorum partem iure successionis ad-
signat, ut habeant unde vitam suam sustinere queant, neque
ipsi ex praeconcepta vulgi opinione perpetuo cuidam con-
temtui obnoxii misere vivendum sit, hoc certe principiis
christianae religionis haud repugnat. (§ 5. n. 23.) Nec
est, quod instes, in hac priuatione successionis iuueniri
poenam quandam erga parentes (sunt verba tua), ita ut

C 3

multi



multi si tristem futurae prolis conditionem perpenderent, ab illicitis congresibus abhorrent. Nonne enim, quum talia, nostrae religioni ad fingeres principia, in mentem tibi venit, quod ope solius rationis facillime cognoscendum, omnem poenam, nisi iusti regulas & aequi insuper habere velis, ita esse ordinandam, ne innocentibus mala inferantur, ab ipsis haud promerita. *Cauendum est*, vt iterum cum CICERONE loquar Lib. I. de off. 35. & ad Brut. XV. ne maior poena, quam culpa sit, neue ad liberos perueniat, qui nil meruerint. Hi enim ortum sibimet ipsis non dederunt, nec, quam Deus iisdem dedit vita, Deo reprobata dici potest. Quare quum nihilo tamen minus a te defenditur illicitum esse, hanc vitam, concessu succedendi iure, beatam reddi, tantum profecto abest, vt hoc in principiis religionis praesidium inueniat, vt potius, quod iam luculenter ostendam, si vnic ex religione nostra normam decidendi in hoc materia desumiliceret, longe melior certe illegitimae prolis foret conditio.

§ 9.

SECUNDUM RELIGIONIS NOSTRAE FAVOR LIBERORUM NATURALIUM EXTENDI POTIUS, quam restringi debet. Primum pro nostra sententia argumentum ipse auctor, cum quo nobis res est, suppeditat. AEQUE minus, inquit pag. 49. esuris paginis aliquid eruetur pro thesi: esse illegiti-

mor

mos a successione parentum excludendos. Quod si igitur sacra
 scriptura liberis illegitimis ratione iuris succedendi non ob-
 stat, immo exemplum JEPHTAE, quod ipse adduxisti; con-
 trarium ita euincit, ut exclusio eius a successione vere re-
 probata fuerit, deinde autem hisce non attentis a te defen-
 ditur, principia religionis fauori liberorum naturalium ob-
 stare; vellem sane, ut nobis probaueris, dari posse religio-
 nis principia, sacro codici accepta haud ferenda. II.) Quum
 liberi, quos iam natuitatis vitium a parentum successione
 excludit huius iuris haud expertes fuisset, si amor eorum,
 quibus ortum debent legitimo foedere iunctus fuisset, quid
 vnuquam cogitari potest durius, quam propter parentum de-
 licta liberorum conditionem miserimam fieri. Nonne igi-
 tur aequum, & religioni nostrae, quae innocentem puniri
 certissime non vult, conueniens foret, si aliquatenus quo-
 que huiusmodi partus illegitimi ad successionem vocaren-
 tur. *Ama proximum tanquam te ipsum*, summam officiorum
 Christiano incumbentium constituit, sed valde dubito, an
 huic principio conueniat philosophia, quae hominem a Deo
 procreatum communi reliquorum iure priuandum censem
 vnice ob id, quoniam parentes eius yetitum exercuerint
 conubitum. In mentem nobis hic veniunt verba CICERO-
 NIS Lib. 2. de inuentione cap. 81. *Hoc si constitutum sit, ut pec-
 cata homines peccatis, & iniurias iniuriis vlciscantur, quantum*
 audip

incom-

incommodum consequatur! Quanto magis igitur, hoc doctrinae Christianae in totum repugnare, res ipsa loquitur. III.) Neminem fugit, quantis incommodis praeterea iamiam ex erroribus vulgi adficiantur liberi illegitimi. *Sic enim est vulgus, ex veritate pauca, ex opinionibus multa aestimat.* CICERO pro Roseio comoedo c. 10. Ne igitur afflictis addatur afflictio aequitas eo magis postulat, quo certius est, nullam spem adesse, fore ut a preconceptis hisce opinionibus homines desistant, dum ipsum imperium legibus in detrimentum illegitimae prolixi latet, ineptias vulgi in dies magis magisque innutriat. Nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis

Claudianus.

Fac vero legem adesse in ciuitate quadam, vi cuius delicta carnis debitis quidem coercentur poenis, simul autem parentibus obligatio incumbat, illegitimos pari ac legitimos modo educandi, usque certam bonorum partem successionis iure relinquendi, ita, ut non solum tempestive utilibus scientiis & artificiis imbuantur, verum habent etiam, unde rem familiarem congruenter instruere, & generatim utilia rei publicae membra euadere queant.

Putasne hanc legem scopo ciuitatum, publicae nimirum saluti optime conuenire, principiis vero religionis nostrae itidem in totum congruere? Immo de institutis ac legibus,

gibis, quae subditum citra omnem culpam & contemptui
 exponunt, & omnem fere occasionem ipsi praescindunt ho-
 nestum vitae genus ineundi, aegre dici poterit, illa princi-
 piis nostrae religionis admodum respondere. In hunc cen-
 sum referre, vix est ut dubitem, statuta & leges quibus ille-
 gitimis liberis ius succedendi in bona parentum penitus de-
 negatur. Duriorem hoc intuitu sanctionem legisse haud re-
 cordor, & profecto saeuior existere nequit statuto rosto-
 chiensi P. 2. lit. 2. § 31. "Was von der Erbsfolge der Kinder
 verordnet worden, ist lediglich auf eheliche zu ziehen, und
 sollen uneheliche sogenig vom Vater, als Mutter Erbe
 werden; es mögen andere eheliche Kinder vorhanden
 seyn oder nicht." Hoc statutum, vi cuius illegitima proles
 & matri ne tunc quidem si legitimi liberi plane deficiunt,
 succedere debet, auctor noster sapientissimum adeo inue-
 nit, ut profunda veneratione more solito perfusus, in fine
 § 24. haec verba adiicere non dubitet: *Haec placita, quae
 leges peregrinas vincunt, principiis religionis nostrae omnino esse
 consentanea, nemo in dubium vocabit.* Admodum vereor, ne
 egregie tua te sefellerit fiducia, neque dubito, fore pleros-
 que qui hancce sanctionem iusto duriorem iudicent, & pa-
 rum cum religione nostrae conciliandam. IV.) Quodsi
 enim vere talis esset nostrae religionis doctrina: hoc unum,
 fateor, impiis, qui veritatem eius in dubium vocant, for-

1061

D

tisfi-

tissimum pro sua sententia suppeditaret argumentum. Nam religio, quae ab una parte perfectam exigit virtutem, cuique externa nondum sufficit iustitia, sed quae ipsum hominem internum virtuti deditissimum desiderat, ab altera vero parte innocentes liberos ob vitia non sua sed parentum tanto odio persequitur, ut contemnaliorum iam obnoxios ne spem quidem succedendi in bona parentum relinqui velit; talis inquam religio vix originem debere potest DEO OPTIMO MAXIMO, qui pro iustitia, & summo erga omnes mortales amore, probare certissime nequit, homines, quibus IPSE vitam & existentiam dedit, a prima inde nativitate in talem detru-di miseriam, ut necessitate quasi coacti virtutem relinquentes, vitiis penitus se dare debeant. Nulla enim res est, quae magis impellat hominem ad facinus iniuriamque alteri infes-randam, quam paupertas raro, dissentiente licet PETRO-
NIO c. 84. bonae mentis foror. Quid autem, quaeſo, mife-ris hisce aliud tandem supereſt. Puerilis eorum aetas educatione tali, qualem legitimis dare solemus, plerumque non fruitur. Vilibus potius, & haud raro turpi vitae generi de-ditis personis infantes huiusmodi committuntur; teneri ad-huc animi exemplis malorum iam inficiuntur, infecti vero crescente aetate semper in maiora proruunt. Sic fit, vt, si cum CICERONE Verr. III. 60. omnia paucis comprehendere liceat, in dedecore nati, ad turpitudinem edacentur. Se-
-llas mel

mel vulgo haec infidet dementia, ut nativitatis macula laborantes a plerisque ciuicis societatibus excludant, id quod, non obstantibus in contrarium scitis legibus, eo facilius exequi possunt, quominus opifici tirones obtrudendi sunt, quibus se iam indigere negat. Nonne igitur boni publici interest, & ipsa æquitas iubet, eo prospici, ne bona & facultates deficiant huiusmodi liberis, quo magis aliud honestum vitae genus in suam & reipublicae utilitatem instituere queant. Optime huic scopo conuenient leges, successionem in bona parentum illis largientes, qua iam priuati, rerumque cunctarum fere egeni, vix aliud habent consugium, quam aut mendicato pane duram repellere famem, aut furitis & latrociniis aliaque malignitate fortunis aliorum inihiare. Nam vbi MARTIALI (V. 82.) credendum:

Semper eris pauper, si pauper es Aemiliane.

Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Jam vero perspicuum est, ceu rectissime scribit PLATO lib. VIII. de republ. qua in ciuitate mendicos videris, in ea ciuitate fures, crumenarum sectores & omnium huiusmodi malorum opifices latitare. Licet igitur admodum difficile sit, praeconcepitas de illegitimis liberis opiniones vulgo in totum eripere, (quod interim, si veritate nitatur illud CLAUDIANI:

Mutatur mobile cum principe vulgus,
tempore tandem fieri posse, credendum est, vbi populus

viderit, extra matrimonium procreatos tam quoad educationem, quam quoad successionem ab imperantibus ipsis & legibus non amplius posthaberi;) longe tamen melius suis profecto rationibus consularentur, principes & ciuitatum rectores hoc saltem iustis efficiendo institutis, ne caeteris, quas illegitimi subire debent calamitatibus, praeter educationis neglectum tristissima quoque per exclusionem ab omni parentum successione accederet egestas. Religionem certissime hoc minime prohibere, immo maxime efflagitare, quemlibet, cui de meliore luto finxit praecordia Titan nobis concessurum fore persuasum habemus.

Corollaria.

1) **V**ulgus, cuius in paginis praecedentibus saepe mentionem fecimus nobis haud vnicce multitudinem denotat ignobilorem, sed vocem generaliter adeo sumtam volumus, ut distinctionem omnino admittat a moderno quodam scriptore his verbis prolatam: "Es giebt einen vornehmen und geringen Pöbel. Ersterer kann bei aller brutalité dennoch Stift und Turnier fähig sein..,

2) Inter caeteras, quae hominem homini iungunt virtutes, modestia non ultimum obtinet locum. Sicuti autem omne nimium vertitur in vetitum

ita quoque, nisi aliud tunc adhiberi debeat nomen, iusto modestiores esse possumus, quippe quod auctori nostro plus una vice accidisse ipse ab illo

illo editus testatur libellus. Stilum quo usus est, non quidem nitidum inuenimus, nec exquisitis elegantias venustatum, sed aptum rei, & perspicuum. Cui bono igitur confessio, quam § I. his verbis exhibet:
 meque a pluribus inde annis a filio cultiore alienum esse recordaris, penixe rogo.

Equidem dudum effluxit tempus, ubi lingua latina non tam via ad eruditionem, quam eruditio ipsa putabatur; nec in orbe litterario quisquam, nisi latine, prodire audebat; qua de re lepidum nobiscum communicauit exemplum J. G. SCHELLHORN, *Bibliothecarius Memmingensis*, in Seinen Beiträgen zur Erläuterung der Schwäbischen Kirchen und Gelehrten Geschichte, Memming 1772. Tom. I. n. 5. verbis: *Ein Gelehrter, Nahmens Nicolaus Ellenbogen, schrieb an seinen Neffen, damaligen (Saec. XVI) Schulmeister zu Memmingen: Ad hoc adstringas adolescentem vel in primis, ut Grammaticam memoriter discat. Ante omnia materna lingua ei in totum interdicatur, sit enim semper latinus. Quodsi legem hanc transgressus fuerit, vapulet.* Attamen si vera esset confessio supra memorata, qualem interim non esse ex ipsa scriptione patet, parum conueniret personae consitentis, de quo scilicet in litteris gratulatoriis, a Praefide conscriptis, relatum legimus, illum diu iam maximo cum adplausu iura docuisse, idque Rostochii, vnde praceptis & institutis iuris prudentiae pariter, ac, ut docentem decet, litterarum humaniorum, abundantem auctorem, minime vero a filio cultiore alienum, expectant lectores.

3) Pater est, quem iustae nuptiae demonstrant, auctor libelli autem, quem titulus loquitur. Vtraque praesumto non juris quidem & de iure, sed juris simplex, probationem, puto, contrarii admittens. Id vero fortissimum pro respondente fistit argumentum, si ipse Praeses in epistola, ut aiunt, gratulatoria, de nouo expressis verbis omnem elaborationis parti-

cipationem abnegat. Varia, ut hanc cautionem adhibeat, Praesidem determinare possunt motiva, inter quae, (nam interdum & iactantiae causa ab antecessore, discipulos suos in cathedram ducente, factum esse recordor) urgentissimum est, si ipsi non omnia, quae Dissertatio continet, vere probantur. Quouis pignore certarem, de opusculo, haec tenus nos occupante, idem esse tenendum. Non enim solum inscriptio epistolae doctrinam auctorem huius libelli salutat, verum etiam statim in principio iterum memoratur, proprio ipsum marte hoc opus elaborasse. Quin ne hoc quidem Praesidi sufficere visum est, sed, ne §phus I. sinistris ansam praebat opinionibus, notanter adhuc addit: *certum licet sit, quid quod certissimum; me quidem thema suppeditasse, attamen ipsam per tristationem totam esse tuam.* Is prosector & acutum VIRT CONSULTISSIMI ingénium, & solidam illius doctrinam prorsus ignoraret, qui statim non perspiceret, quaestionem ad disputandum ab ILLO esse quidem propositam, ipsam vero solutionem Ipsi admodum displicuisse.

4) Dantur aenigmata iuridica, quorum varia lisiit: Hertelli politische Thee- und Coffée-Tasse für das delicate Mauelchen der Madame Güstitz, Jenae 1743; quibus unicum addam, n emoratu non penitus indignum: *quomodo fieri possit, ut ius retentionis exerceamus in re, numquam a nobis possessa?* Solutionem, eamque egregiam, dabit Walter Vincent Wiese, Professor, si forsitan nescires, Rostochiensis in Dissert. de retentione pignoris tam ob eadem, quam ob diuersa. Rostochii 1780. In qua luculenter ostenditur, non opus esse, vt creditori, ius retentionis ex chirographaria causa exercere volenti, pignus traditum fuisse; nam & hypothecam a creditore plane non possellam retineri posse. O theol. riā pulcherrimā, qua nihil melius. Numquam, nisi praeente te, doctissime Vincenti, putauerim, mutato commercio, principia iuris ita mutari posse.

5) Plu-

5) Plurimi Doctores negant, illegitimos honorum & dignitatum esse capaces. Inter rationes autem, quas alii semper alias allegare solent, admodum ridiculae sunt, quibus RUTGER RULANDUS in vasto, quem de Commissariis fabricauit tractatu, (re vera enim manuum potius, quam ingenii opus dici meretur) usus est, quia, inquiens lib. I. c. 7. n. 2. *commissarius* saepe personas *requisitas* ut *artifices* vel *testes* *notorio* *spuriis* potest reiicere. Conuenit ergo est eum esse legitimum; et quia egregiae animi dotes in *Commissario* requiruntur, quae plerumque in *spuriis* deficiunt. Dico plerumque, licet enim ita fiat, ut ex parentibus *vitia* *contrahantur*, naturam tamen ad hoc adstringere perquam ini- quum est, quum non semper in *seminibus*, sed in voluntate *nascentis causa* *vittorum* posita est. &c.

6) Praefectus quidam sportularum cupidissimus, quum ingens ipsi obiceretur avaritia, non iuste solum se agere, verum sportulas etiam sacrae scripturae optime conuenire defendebat. Denn, inquiens, es fhehet ja geschrieben: *Die Obrigkeit trägt das Schwerdt nicht umsonst; Sie schneidet daher mit recht.* Frustraneum certe haud susciperet laborem, libellum academicum de fauore sportularum secundum principia nostrae religionis non extendendo, scripturus.

7) Vidi nuper in actis judicialibus deductionem quandam, sequenti horrisona inscriptione laborantem: *Sachangemessene Ungrunds-Darlegung mit höchst vermüßgter Ausführung*, dass die ab aduersa parte chicanen und vexenmäßiger Weise ergriffen werden wollende, die heilsame *Jusflitz* blos amüsirende Appellation, contra clarum tenorem der Welt- Reichs- und Landes- Rechte nicht stadt finde, folgbar ganz unstatthaft sei —. In Sachen Doctoris N.—. proprio proh dolor! nomine, contra die Wittwe N, als seine morense Deseruiten und expensis restan-

tinn.

[decorative line separator]

tinn. Interior autem deductio, inter alia eleganter dicta, haec quaque habebat: *Und so hat denn die Alten und rechts flüchtige expesen und deseruiten restantinn, um mein in ihrer zehnjährigen Rechts Sache fäuer verdientes honorarium (nonne potius mercedem?) und baar hergespreckten Verlag, mich dergestalt zu schneutzen, die Absicht, dass schier die Steine darüber schreien müchten.* Idem hicce orator nitidissimus in testamento, pro mercatore confecto, legatum hisce expressit verbis: *“Der Wittwe N, meiner bisherigen Haushälterin, vermaache ich alle in “meiner Substanz und Patrimonio befindliche Eswaare.,*



ULB Halle

ULB Halle
006 784 054



3

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres
Inches

Farbkarte #13

D E

RELIGIONE CHRISTIANA

IN FORO CIVILI

CAUTE ADPLICANDA

MULTO MINUS

AD ILLEGITIME NATOS

A SUCCESSIONE EXCLUDENDOS

VSURPANDA.

Werk Weber, Albrecht Friedrich.]



MDCCCLXXXII.

